



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

9. Vngues quoque, & capillos resurgentibus esse reddendos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

fore, neque immunditias contentura, sed nobilibus humoribus implenda. Quod in damnatis non fiet. Qui autem humores in resurgentibus sint extituri, ex eo pendet decidere, quoniam spectent ad naturæ integritatem, de quibus idem Doctor, & schola Philosophorum.

Ibid. art. 3.

Quin & capilli, & vngues reddentur ijs, qui in hac vita calui fuerunt, aut matrum curiosarum vitio, vel sæuitia tyrannorum exungulati. Quia capilli quoque & vngues dati sunt in ornamentum hominis. Cum ergo *corpora hominum, præcipue electorum* (ait idem Angelicus Doctor, quia non ita credibile est, damnandos cum ornamentis suis ad identitatem & veritatem non necessarijs resurrecturos) *debeant resurgere cum omni ornatu*; consequens est, eos etiam cum capillis & vnguibus resurrecturos. Adde quod capilli & vngues, licet ex abundantia cibi generentur, non solum ornatum habeant, in hac vita, sed etiam sua non careant utilitate; atque idcirco ad secundariam pertineant corporis perfectionem; sicut folia arborum, quibus fructus cooperiuntur, pertinent ad secundariam arborum perfectionem, & venustatem. Et quoniam temperamentum magis ad naturam hominis pertinet, quam eadem mensura quantitatis, quæ saltem in infantibus non manebit, ex temperamento autem oritur color capillorum, conficitur tunc, capillos beatorum eodem colore fore conspicuos, qui hinc 34. anno aut fuerunt, aut futuri fuissent, si vita esset eò usque porrecta.

IX.

Ibid. art. 2.

Quoniam autem infantes, pueros, & Pygmæos in statura perfecta, uti & Gigantes ea magnitudine, qua ferè Christus fuit, diximus resurrecturos; necesse est & Gigantibus aliquid de materia demi, & infantibus ac Pumilis aliquid addi, quod identitati ac veritati eiusdem hominis non officit; sicut neque in ijs, qui ab alijs hominibus deuorati sunt; quorum proinde caro à pluribus animabus fuit informata, & iam ad hunc, iam ad illum hominem pertinebat. Nihil inquam, officit, quia, præter alias responsiones à S. Thoma assignatas; sufficit, tantum materiæ tunc diuina virtute aliunde suppleri, quantum opus est ad perfectionem quantitatis. *Nec per hoc aliquid præiudicatur*

X.

S Thom. iā
supl. q. 86.
ad 3.